



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

23. An si constructâ Ecclesiâ fundator negligat eam dotare, is aut ejus hæredes compelli possint ad dotem præstandam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)



datione, & dotatione altaris acquiritur jus patronatus, quàm ex dotatione, fundatione, & constructione Ecclesie. Lamb. de jure pat. l. 1. p. 1. q. 11. n. 4. 9. num. 9. Lott. loc. cit. n. 12. Item dum Altare constructum in Ecclesia habet Rectorem suam, & Rectorem, & aliquid ei, sive in eo depicta legatur vel offertur, totum illud eidem altari acquiritur per accessionem, ut loquitur Abb. loc. cit. hoc est, accedit ad dotem dicti altaris. Lott. loc. cit. nu. 34. si verò non habeat dotem neque Rectorem, acquiritur ipsi Ecclesie, in qua est altare, præcipue si est Ecclesia regularis, c. 1. de statu monach. Marefch. variar. resol. l. 2. c. 42. num. 3. apud Lott. n. 36.

*Quares 20. An in quibuscunque Ecclesiis erigi possint beneficia, etiam cum reservatione juris patronatus & conditionibus juri communi aliis contrariis, etiam dum ipsa Ecclesia, & altaria, aut Capella in iis existentes sunt de hujusmodi jure patronatus, aut etiam dum earum Ecclesiarum Prælati seu Rectores contradicunt?*

**R**espondeo affirmativè: cum consensu tamen patronatus; cum id tendat ad cultus divini augmentum, nullumque prædictis Prælati seu Ecclesiarum Rectoribus inferatur præjudicium, utpote qui neque prætextu fundi quidquam prætere posse possunt, cum solus dotans & construens in Ecclesia juxta consuetudinem ubique ferè receptam in ecclesia fiat patronus, Ecclesia verò aut ejus Rector ratione fundi non fiat compatrona, nec compatronus. Neque etiam dum dicta Ecclesia jam sunt de jure patronatus sive singularium personarum, sive Collegii aut Universitatis, horum patronorum consensus ad hoc requiritur, cum ipsi non habeant jus in fundo Ecclesie, sed tantum præferendi in ea Rectorem aliisque sibi ex fundatione reservata: proinde, ut responsum, hujusmodi erectiones dicto modo impediri nequeunt; cum beneficia hujusmodi ubique erigi possint. ita ferè Corrad. l. 4. c. 6. n. 42.

*Quares 21. Quid veniat nomine dotis beneficii?*

**R**espondeo: certa bona eorumque proventus assignati beneficio, pro illius tanquam matrimonii spiritualis cum Ecclesia initi supportandis oneribus. Paul. de Cittadinis de jurepat. p. 13. nu. 5. & seq. Lott. l. 1. q. 31. num. 1. numerantur autem inter hæc omnia alimenta Rectoris, juxta c. cum secundum Apostolum. de præb. impensæ ad facta tecta habenda illius Ecclesie vel altaris c. 1. de Eccl. edific. ac pro luminibus aliisque sacra suppellectili juxta C. altaris palla. de consecr. d. 1.

*Quares 22. Num hac dos congrua sit necessaria, ut ante eam assignatam Episcopus fundationi beneficii nullatenus consentire possit?*

**R**espondeo affirmativè: c. nemo Ecclesiam. 9. d. 1. Lott. cit. q. 13. nu. 2. cum communi; qui etiam n. 60. & 61. monet observare debere Episcopum in hac dotis constitutione, ut nuncupatum fiat hoc nomine, & non nomine stipendii vel salarii pro

Capellano vel Sacerdote, eò quòd etiam Oratoria, Hospitalia, aliisque loca pia habere possint bona, ex quibus persona Ecclesiastica percipiant redditus, absque eo tamen, quòd sint beneficia.

*Quares 23. Quid si ergò constructa Ecclesia fundator negligat eam dotare, num is aut illius hæredes compelli poterunt ad præstandam dotem?*

**R**espondeo affirmativè: Gl. inc. piamenti. 16. q. collata. Lott. cit. q. 31. n. 4. qui tamen addit, nisi malit perdere jus totum patronatus. Sic etiam, ubi quidem dos aliqua collata, sed insufficientis, compelli poterit ad dotem complendam. Lott. loc. cit. num. 7. Lamb. de jurep. l. 1. p. 1. q. 5. n. 13. cum paria sint nullam, vel incongruam assignasse dotem. Lamb. a. 21. n. 1. Tenentque hæc etiam constructio facta esset absque auctoritate Episcopi. Abb. conf. 89. p. 2. n. 2. Non tamen tenent de Capella vel altari aliquo in Ecclesia jam erecta & competenter dotata constructio simplicis devotionis causa. Lott. loc. cit. n. 6.

*Quares 24. Quid si ignoretur beneficium ab initio sufficienter dotatum fuisse, an per hoc amittat statum beneficii?*

**R**espondeo negativè: neque enim bene inferatur; non habet dotem, ergo non est beneficium, eò quòd multa contingere potuerint, ut dos etiam penitus interiret: Lott. cit. q. 31. n. 24. citans Berran. volum. 6. conf. 257. num. 1. quod tamen intelligendum credo de beneficio habito semper tali, et si prima ejus dotatio aliter probari non possit. Illud nihilominus & nihil aliud operabitur hic defectus dotis, quòd dicatur beneficium de pertica & impermutabile cum alio, quod dotem habet. Lott. n. 25. Gomez. l. 1. decis. 28. nimirum ob fraudem, quæ regulariter semper præsumitur, etiam dum permutatur, cum beneficio habente tenues redditus. Abb. in c. vero simile, de præsumpt. n. 22. Lott. n. 28. Paris. de resign. l. 13. q. 4. n. 8. Tholosan. de benef. c. 31. num. 15. & alii, quos vide apud Tiraq. ad l. si unquam. c. de revoc. donat. num. 122. & Lott. loc. cit. quamvis purgata hac suspitione fraudis ex facto & auctoritate superioris statum scilicet scientis, & tamen talem permutationem admittentis citra fraudem cujuspiam: quod ideo vix praticari posse ab inferiore Papâ censet Lott. nu. 29. promotio talis fieri, & sustineri potest, Decius. conf. 210. n. 5. Gomez. loc. cit. Contradicit nihilominus huic doctrinæ Zoës: citans pro se Jo. And. tenet namque beneficium non habens fructus rectè permutari cum habente fructus; cum non curetur de fructibus, sed tantum agatur de jure spirituali, cujus fit permutatio: nec posse præsumi fraudem; cù ex generali regula nemo præsumatur malus, nisi probetur; & cuilibet liceat uti jure suo, si aliud nihil concurrat, quod fraudem faciat; ut si morti vicinus vel senex permutet pingue cum tenui. Azor. p. 2. l. 7. c. 29. q. 15.

*Quares 25. Quanam censenda dos congrua beneficii?*

**R**espondeo: quamvis de hoc statuere spectet vel maxime ad arbitrium judicis; Busfar. l. 3. conf.